

1912. 45.

DE
CONSVETVDINE,

Axiomata.

Quæ

*Ex Magnifica, Nobilissima atq; Amplissima in
illustri Salanâ Facultatis Iuridicæ decreto:*

SUB PRAESIDIO

Magnifici, Amplissimi atq; Consultissimi Viri,

Dn. VIRGILII PINGGITZERI,
CONSILIARII SAXONICI, ET IN
IUDICIO CVRIALI ET SCABINATV ASSESSO-
ris dignissimi, nec non Iuris in Ienensi Acad,
Professoris Clarissimi, Dn. Præceptoris &
Patroni sui observandissimi:

*Insignium & privilegiorum Doctoralium in utroq; Iure im-
petrandorum gratia, in aula Ictorum, horis consuetis
a. d. IV. Eid. Iulij, publicè discutienda
proponebat*

PAVLLVS Spiegel Gryphisval-
densis Pomeranus.

I E N A E

TYPIS TOBIAE STEINMANNI,

ANNO M. D. C. I.

iss. jur. civ.

120,38

3



*Magnificus, Amplissimus atq; Clarissimis
viris:*

Dn. **A N D R E A E**
SCHÆFFERO, AMPLISSIMÆ
Facultatis Iuridicæ & Scabinatus Electoralis,
qui est Lipsiæ, Assessori peritissimo:

Dn. **ANDREAE HOMELIO,**
Inclytæ Academiæ Lipsensis Præposito atq;
Syndico, Magnifici Ictorum Ordinis Collegæ, & Electro-
ralis Curia Advocato consultissimo:

Dn. **LEOPOLDO HACKEL**
MANN O, EPISCOPALIS MAGDEBUR-
gensis aulae Consiliario dignissimo:

Dn. **HENRICO HEIDECCIO,**
Illustrium Comitum Mansfeldicorum Cancellario
sollertissimo:

Iuris utriusq; Dd. & Consultis celeberrimis:

Dn. **IACOBO LOEBZELTERO, ME-**
dico Doctore, & in Illustri Academia Lipsica
Professori:

Dnn. Mecenatibus & promotoribus meis omni observa-
vantia studio colendis:

Hanc disputationem meam inauguralem
do, dico, addico,

Paulus Spiegell
Gryphis. Pom.

DE CONSVETVDINE.

Thesis I.

PROPOSITVM IN
mente retentum nihil operari,
commune est nostrorum di-
verbum.

l. si repetendi 7. ibid. Gothofre. C. de condict. ob
caus. dat. c. 1. ibi: licet voluntatem habuerit. ibid. Panor-
mitan. extr. de eo qui mitt. in possess. l. quod quis 50.
ibi: hac mente ff. de condict. indeb. l. qui ex liberis §.
ult. ibi: nec putaverit quisquam nuda voluntate constitui
testamentum ff. de bonor. possess. secund. tab. l. quidam
cum filium ff. de hered. instituend. Vnde eleganter Bal.
ait in l. 1. C. de confess. De mente hominis nullum est di-
rectum testimonium, estq; nota verè soli DEO. Quod
refert Tyraq. ad l. si unquam vers. libertis n. 23. C. de re-
vocand. donat. Decius conf. 696. n. 18. Socin. Iun. conf. 4.
n. 1. l. 3. Rolan. à Vall. conf. 6. n. 3. 4. idem consil. 18. n. 3.
& conf. 97. n. 12. volum. 4. Decius in l. 34. n. 2. de R. I.

II.

*Hinc sagax rerum natura nobis duo,
per qua intentionem seu propositum nostrum
exerere, inq; medium proferre nobis licet,
monstravit: VERBA dico & FACTA.*

l. 3. l. Labeo 7. ff. de supell. legat. l. ille aut ille ff. de
legat. 3. l. non figura 38. ff. de obligat. & act. l. Labeo 19. ff.

A 2

de V. S.

de V. S. Alciat. in pr. lib. 1. de V. S. Garz. de ult. fin.
juris nu. 201. Goed. ad rubr. de V. S. n. 6. Azo in Bro-
card. rubr. 10.

III.

*Illis mentem sermone; his vero re ipsa
declaramus: Et sic ambo voluntatis nostrae
sunt internuncij & interpretes.*

l. de quibus ibi. (nam quid interest, suffragio popu-
lus voluntatem suam declararet, an rebus ipsis & factis?) ff.
de ll. l. 7. §. Servius vers id Tubero. ibi: (nam quorsum
nomina nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis?) ff.
de supel. leg. l. sed Celsus. §. si fundus. ff. de contrah. emt.
Vnde dixit Bald. in l. sed & reprobari. ff. de excusat. tutor.
Ex loquela hominis eius animus iudicatur: quod refert
Decius ad l. 34. vers. & extr. de R. I. Benè itidem Meno. l.
arbitr. jud. quæst. 7. n. 75. verba sunt nostri cordis nuncia.
Alleg. Cravett. conf. 20. n. 2. conf. 290. in fin. Boër. quæst.
1. n. 8. Hinc illud vulgò jactari solet: puto à Socrate di-
ctum esse: Loquere ut te videam. Quod refert in propo-
sito Tyraq. in l. si unquam vers. libertis n. 18. C. de revo-
cand. donat. Thoming. decis. 47. n. 11.

IIII.

*Quae cum ita sint, rectè Taciti & Expressi
eandem virtutem & vim esse, dicimus.*

l. de quibus ff. de ll. l. cum quid. ff. si cert. petat. l.
triticum ff. de verb. obligat. l. stipulationem ff. de jur.
dot. l. quod si nolit, §. qui mancipia ff. de ædilit. edict.
Iaf. Bart. & Dd. in d. l. cum quid. ff. si cert. petat. Zas.
in l. interdum. n. 3. ff. de V. O. Cœpoll. conf. 21. quem
refert Everh. in Topic. in loco ab expresso ad tacit. quem
rursum

rursum in proposito citat Daniel Moll. 4. semest. c. 1. n. 25. pulchrè Vigl, Zuich. ad d. l. cum quid n. 16. ubi dicit, eam regulam non procedere, quando expressum nocet. Gail. 2. obs. 30. n. 4. Fallit itidem hæc regula, quando tacitum & expressum concurrunt, ita ut alterum eorum de medio tolli necessum sit: tunc enim expressum prævalet tacito, ut demonstrat Ant. Fumeus in tractat. de substit. in pr. n. 19. & ante ipsum voluit Iason in d. l. cum quid.

V.

Atque hoc non solum in privatis actibus, sed etiam in juris constitutione obtinet.

Text. l. de quibus, 32. l. diuturna 33. l. sed & ea 35. & seqq. ff. de ll. Coler. 1. part. process. c. 3. n. 23. Duar. c. 11. ibi (dicitur quod in morem vetustas) ad tit. de ll:

VI.

Illud enim aut expressè, scilicet verbis, conficitur, ut Lex:

d. l. de quibus verb. suffragio §. constat & seqq. Instit. de jur. N. G. & C. Fac. l. scire leges 17. de ll. & l. nominis 6. §. 1. de V. S.

VII.

Aut tacitè, factis nimirum, introducitur, ut Consuetudo.

d. l. de quibus 32. de ll. Curt. passim in præfat. nu. 17. & sect. 4. n. 47. & num. 65. ad c. tanto. Extra h. tit. Gailius 2. obser. 31. num. 9. Rebuffus 3. tom. rega. constit. Tract. des coutumes stylz. & c. n. 54.

A 3

De

De lege, quam jus scriptum, (ἐγγραφοῦ) vocari scimus, jam nihil. De CONSVETVDINE, quæ jus non scriptum, (ἄγραφοῦ) appellatur, differemus.

l. jus civile 6. in fin. de just. & jur. & §. constat. Instit. de Iur. N. G. & C. Hotom. ad d. §. constat.

IX.

Cum verò in omnibus, verborum prior quàm rerum cura esse debeat: Verba enim, teste Platone, sunt instrumenta, quibus res significantur: non ignorandum est, consuetudinis vocabulū, ut Bart. docuit, πολύσημον esse.

Aut enim sumitur pro assuefactione unius hominis, & tunc est factum: l. vel universorum 12. ff. de pignor. act l. si servus plurium 50. §. fin. de legat. 1. quo referri debet illud vulgò jactari solitum, consuetudinem esse alteram naturam. Et hæc consuetudo etiam in animalibus est. §. apium Instit. de rer. divis. vel sumitur pro facto plurium personarum seu pro moribus vel usibus eorum c. consuetudo 1. distinct. vel denique pro jure quod resultat ex usu & moribus plurium personarum l. de quibus 32. l. sed & ea ff. de ll. Bart. ad d. l. de quibus n. 6. Roch. Curt. in præfat. n. 18.

X.

Sed de prioribus modis, non quarimus, disputatio circa posteriorem, occupata erit: quo in significato definitur: jus, nulla præmissa

missa

*missa deliberatione, sed tacito consensu populi
introducitur & firmatum.*

Quam definitionem colliges ex l. sed & ea 35. ff. de
ll. §. ex non scripto Instit. de I. N. G. & C. varias vario-
rum definitiones vide apud Roch. Curt. in præfatione
n. 9. & seqq. qui plurimis reiectis, illam Isidori compro-
bat: quod sit jus utentium moribus comprobatum, quod
pro lege suscipitur, cum deficit lex. sed improbat eam
Bart. ratione non sat firma, ut ostendit Curt. Verùm sic
vitium eius ostenditur: Nulla erit definitio, quæ non
cum suo definito converti potest. At hæc talis est. quo-
niam conversio eius falsa erit, si dixeris (Ergo si non de-
ficiat lex, consuetudo introduci non poterit.) Quinimò
hinc enatæ disputationis, (an lex consuetudine abrogari
possit? de qua in Thes. ult.) frustranea foret inquisitio,
si non & stante lege consuetudinem introduci admiseris.
Adde Duar. ad tit de ll. c. 11.

XI.

*Dividitur rectè in Generalem & Spe-
cialem.*

Hostiens. in rubr. Extr. de consuet. constituit qua-
tuor species: nimirum, Generalissimam, Generalem,
Specialem & Specialissimam. Eumque sequuntur Petr.
de Ravenna sect. 3. n. 43. de consuet. Sebast. Medic.
p. 2. q. 14. n. 2. Chassen. ad procem. in vers. Generales. ad
consuet. Burgund. Verùm ut prior sub secunda includi
potest, ita & posterior nomen consuetudinis, cujus nos
tractationem instituimus, non meretur. Rectius ergo bi-
membris hæc nostra divisio tenetur, quam probant Ioh.
Fab. in §. ex non scripto. Instit. de I. N. G. & C. & ibi
Schneid. V Vesenb. in ff. de ll. n. 9.

Quo

Qua licet non in omnibus conveniant: certè in hoc utraq; convenire debet, ut sit Rationabilis, ut Tacito consensu introducatur, ut Actuum frequentia muniat, & finaliter Diuturnitate temporis confirmetur. De quibus singulis distinctè dicendum erit.

Quæ omnia colligere poteris ex l. 1. C. quæ sit long. consuet. l. sed ea quæ 35. & seqq. ff de ll. Menoch. 2. arbit. jud. quæst. cas. 81. 82. 83. Gail. observat. 31. Schneid. ad §. ex non scripto Instit. de I. N. G. & C. Roch. Curt. in præfat. n. 17.

Rationabilitas.

Qua autem sit & dicatur consuetudo Rationabilis, non benè conveniunt nostri. Putarem Antonij de Butrio sententiam non usq; adeo à veri scopo aberrare: existimantis consuetudinem esse rationabilem, de jure Canonico, quæ fini eterno non repugnat: de jure Civili, quæ bono publico non refragatur.

Quod latius per sequitur Consultiss. Menoch. 2. arbit. jud. quæstion. 82. n. 7. & seqq. Scio communiter illud judicis arbitrio committi, prout testatur Andreas Gail. 2. obs. 31. n. 12. Verùm faciles nimium in appellando judicis arbitrio nostri sunt. Nam si verum est quod Aristot. docuit 1. Rhetor. à legibus relinqui judicis arbitrio
quàm

quàm minimum oportere: sanè facimus omninò rectè,
si & nos in eam interpretationem incumbimus, ut ei-
dem minimum relinquamus. Sed ad Thesin redeo.
Existimavit Bl. in l. de quibus. n. 32. ff. de ll. Consuetu-
dinem sine ratione esse posse: motus l. non omnium ff.
de ll & l. prospexit 12. ff. qui & à quib. manumiss. cuius
sententia recipi non potest, nec debet. Est enim Celsus
auctor, quod non ratione introductum, sed errore pri-
mùm, deinde consuetudine obtentum est, in alijs simili-
bus non obtinere l. quod non ratione 39. ff. de ll. hoc
est, statim errore deprehenso omnem exuere juris pristi-
ni vigorem, in expediendis similibus futuris difficultati-
bus, ut explicat Rævard. de auctor. prudent. c. 16. Et si
consuetudo jus est, ut esse Imperator dixit, in §. constat
Instit. de jur. Nat. G. & C. sanè non magis sine ratione
esse poterit, quàm homo sine anima: cum omnis juris
anima, ratio sit l. si & me 32. ff. si cert. petat. l. si quid
vend. 18. ff. de ædilit. edict. l. scire 17. l. fraus 30. l. contra
39. ff. de ll. l. 6. §. 1. de V. S. neque pro Baldo adductæ
leges quicquam faciunt, prout demonstravit d. loc. Me-
noch, n. 11. & seqq.

XIIII.

*Hinc deducimus: Consuetudinem, legi-
timam liberis debitam, tollentem, non valere.*

I. Non enim potest jus Civile ordinem & ratio-
nem naturæ prorsus invertere l. 1. de usufru. ear. rer. l.
jus civile 6. de Instit. & jur. Naturalis autem hic ordo
est, ut liberi succedant parentibus l. cum ratio 7. ff. de
bon. damnat. Ergo per consuetudinem, ut jus civile, is
everti nequit.

II. Surrogatum sapit naturam eius, cui surroga-
tur: l. 10 §. 2. Si quis caution. Everh. in loco à vi surro-
gat,

B

gat,

gat. Legitima autem surrogatur alimentis, Novell. 18.
§. hoc nos §. prohibemus. Alimentorum autem petitio
nullo jure tolli potest, cum jure naturali debeantur §. 1.
Instit. de jur N. G. & C. At dices, legitimam jure civili
deberi l. lege 4. C. de legit. hered. Ideoque contraria
lege omnino tolli poterit l. de quibus ff. de ll. l. nihil tam
naturale 35. ff. de R. I. Dicendum, legitimam quoad in-
stinctum naturalem, quo parentes ad educandos & alen-
dos liberos moventur, juris naturæ esse: respectu vero
arctioris necessitatis, & portionis certæ, juris Civilis esse.
Mynsing. 5. obser. 43. Gail. 2. obser. 122. Socin. Senior
confil. 150. volum. 1. Suarez litt. L. n. 65. Chiflet. de
portion. c. 16.

XV.

*Ubi est illa consuetudo merito damnanda
veniat: qua libris mercatorum simpliciter
credendum statuit.*

Bl. in l. unic. C. de confess. Coepoll. conf. 40. in 6.
dubio. Alexand. conf. 3. quos refert & sequitur Roch.
Curt. in procem. 27. fol. 434. quod exinde confirmatur:
Vbi eadem ratio est, ibi idem jus esse debet. l. illud ff. ad
l. Aquil. Ratio autem, cur libris mercatorum credi non
debet, hæc est: quia exemplo perniciosum est, ut ei
scripturæ credatur, qua unusquisque sibi annotatione
propria debitorem constituit l. exemplo C. de probat.
quæ ratio tam in casu nostro obtinet, stante videli-
cet consuetudine, quàm ea deficiente. Et per consequens,
talis consuetudo recipienda non erit. Vnde & signanter
d. loco Bald. ait: ea consuetudine materiam falsum fa-
bricandi induci. Quod dictum singulare reputat Abbas
in c. bonæ Extr. de postulando. Roland. à Vall. conf. 92.
n. 7. ubi

n. 7. ubi & illud Baldi dictum refert. (Quòd, etiam si es-
sent mille scripturæ privatae, non tamen facerent fidem.)
Contrarium tamen responderunt non exiguæ auctori-
tatis Dd. quos refert Pacianus 1. de probat. 63. n. 28.
& seqq. Gail. 2. observat. 20. n. 6. Menoch. 2. arbitr.
jud. quest. 91. n. 22. Quoniam (inquiunt) tum hæc scri-
ptura niteretur auctoritate publica. quod sanè argu-
mentum non dignum arbitror, ut eius metu vadimoni-
um deseramus: interim tamen, concurrente quantitatis
summæ & personæ qualitatis distinctione, videndum erit,
(ne refractarij videamur,) quid & quantum huic con-
suetudini tribuendum sit: Per ea quæ dixit Delphicus ille
Roland. d. loco n. 8. & seqq. Pac. d. loco.

XVI.

*Reprobamus & exinde consuetudinem,
que soli domino electionem Parium tribuit:*

Quia hoc modo dominus in propria causa iudex
fieret, quod naturali & civili rationi contrarium est, l. 1.
C. ne quis in sua caus. l. observandum. ff. de jud. Eos
enim haud dubiè electurus esset iudices, per quos victo-
riâ se potiturum speraret. Gail. 2. obs. 34. Et is iudicat,
qui alteri, ut iudicet, committit. Zas. part. 11. n. 14. de
feud. Et tenetur Dominus & Vasallus ad æqualia, Matth.
de Afflict. decis. 265.

XVII.

*Vt & illam opificum: qua, ne, quod
unus cœpit, alter perficiat (Das was einer
angefangen oder zugeschnitten / der
ander nicht außmachen dörffe /) inhi-
betur.*

B 2

Quia

Quia hac de re statutum non valet l. unic. C. de monopol. Ergo nec consuetudine recipi debet: ne scilicet taciti, quam expressi sit vis maior. & speciem quandam habet conspirationis, cui leges valde sunt infestae: notat Sichard. ad rubr. C. de monopol. Unde in Gallia eiusmodi statuta & consuetudines reprobari dicit Petr. Rebuff. ad constit. regni Gall. lib. 2. tract. de magistr. artificior. art. 4. gl. 2. n. 18. Quamvis male apud nos id à plerisque etiamnum observetur: qui magis inveterata apud ipsos, quamvis perversa consuetudine; quam legibus scriptis se tuentur, inquit Daniel Moll. 2. semestr. 150.

XVIII.

Tacitus Consensus.

Sequitur nunc secundum requisitum consuetudinis, Tacitus nimirum, populi consensus: in quo specifica est eius, à lege, differentia.

l. de quibus 32 l. sed & ea 35. & seq. ff. de ll.

XIX.

Errant itaque, qui ad legis essentiam, quicquam scripturam facere, opinantur.

I. Quia sola principis voluntas legem facit l. 1. ff. de constit. pr. §. sed & quod Instit. de I. N. G. & C.

II. Quia Lacedaemoniorum leges in scripturam redactae nunquam fuerunt: quod & lege disertè apud ipsos, ne fieret, cautum fuit, ut refert Plutarchus in vita Lycurg. & valde placet, quod ad expositionem huius quaestionis dicit Angel. ad §. constat. nu. 3. Institut. de I. N. G. & C. Scriptura (inquit) non requiritur de substantia vel esse formae, sed de essentia observantiae, vid. omninò Sebast. Medic. part. 3. q. 11. de ll. qui argumentis hinc inde prolati
diligenter

diligenter eam excutit. Iacob. de Raven. ad l. 1. C. quæ fit
long. conf. Conan. 1 comment. 7. nu. 5. Schrader. p. 9. pr.
p. 2. sect. 3. n. 116.

XX.

Labascit etiam illorum opinio, qui consuetudinem in scripturam redactam, juris non scripti nomen amittere statuunt.

Vt enim superiore quaestione dictum est: scriptura nihil confert ad legis essentiam: ut proinde nullum planè argumentum concludens ex scriptura vel pictura literarum rectè adferri possit. Facit quod memoriæ & facilioris probationis causa, ut plurimum consuetudines literis consignètur: ut videre est in contractibus, qui licet ex conventionione partium in scripturam redigi debeant, tamen non dicitur contractus in scriptis: inquit Roch. Curt. in præf. n. 5. de consuet. Et scriptura tantum ad faciliorem probationem requisita videtur, quia contractus tenet à principio, ut consuluit Paullus de Castro consil. 42. Vnde etiam videmus, Feudales consuetudines scriptas esse: & nihilominus consuetudines appellantur 2. lib. tit. 10. & 1. lib. tit. 15. Mozz. tract. de feud. c. 1. n. 34. Clar. §. feud. q. 1. Pro quaestione vide Petr. de Raven. sect. 1. n. 4. & 18. de consuet. Chassan. in proœm consuet. Burg. n. 20. & seqq. Schneid. ad §. ex non scripto, n. 8. Inst. de I. N. G. & C. & ante hos omnes Bartol. in l. de quibus n. 7. 8. ff. de ll. ibidem Zas. num. 29.

XXI.

Cum verò Tacitus consensus populi requiratur, ignobili planè studio à nostris inquiratur: an Fœmina, an Pupillus, an Familia; consuetudinem introducere possint?

B 3

Quoniam

Quoniam in tacitis ijsque vetustis origo retrò simili-
liter ignoratur: arg. l. si arbiter 28. de probat. Et sufficit
tacitum consensum populi comprobare, qui ex eo colli-
gitur, si maior pars populi usa sit consuetudine: ne, si
contrarium dixerimus, impossibilem consuetudinis pro-
bationem efficiamus: cum tamen ea, utpote facti, pro-
bari debeat. Iason in l. de quibus n. 48. ff. de ll. V Vesen.
in ff. n. 9. ff. de ll. vid. etiam Petr. de Ravenna, sect. 3.
de consuetud.

XXII.

*Illud rectè queritur: An civitas con-
tra jus superioris possit consuetudinem intro-
ducere? Nego.*

l. 3. §. Divus ff. de sepulch. violat. Ius enim publi-
cum privatorum pactis immutari nequit l. jus publicum
38. ff. de pact. Civitates autem superiori subiectæ, pri-
vatorum loco habentur l. bona 15. ff. de V. S. Ergo Ci-
vitas non poterit contra jus superioris consuetudinem
suo arbitrio introducere. vid. Zas. ad l. de quibus n. 15.
& 16. de ll. Petr. de Ravenn. sect. 4. n. 59. Schneid. ad
§. ex non scripto n. 3. Instit. de Iur. N. G. & C. Roch.
Curt. sect. 4. n. 24. V Vesenb. in ff. de ll. n. 9.

XXIII.

*Consensus autem hic, intra territorij,
populi consuetudine utentis, fines concluditur.*

Arg. l. ult. ff. de jurid. & hanc communem esse
opinionem, testatur Felin. in c. à nobis Extr. de sent. ex-
com. Idem attestatur Alexand. cons. 111. vol. 1. quos re-
fert & sequitur Roch. Curt. sect. 9. n. 20. Facit quæ di-
xit Petr. de Ravenn. sect. 4. n. 21.

Proi ide

Proinde forenses consuetudinibus locorum, in quibus sunt, non adstringuntur.

Arg. c. certificari (ibi: quælibet patria abundat suo sensu,) Extr. de sepulchr. Et consuetudines dicuntur locales, ut non nisi inter subditos merito custodiri debeant. Roch. Curt. sect. 9. vers. conclusivè num. 1. Petr. de Raven. sect. 3. n. 35. Faciunt dicta Schneid. in §. jus autem civile n. 15. vers. estque ratio &c. Quod tamen non procedit, si aut res aut judicij ordinem spectarent, Roch. Curt. d. loco n. 12. 13. 37.

XXV.

Aetuum Frequentia.

Restat tertium requisitum: Aetuum scilicet frequentia. Quam in binis consistere communis docuit Interpretum schola. sed eam post plurimos improbat Menoch. nos communem probamus, dummodò illi bini actus ita sint notorij, ut vero similis ex ijs populi notitia colligi possit.

Bart. ad l. de quib. n. 12 ff. de ll. ibid. Iason. n. 41. Petr. de Raven. sect. 3. n. 29. Gail. 2. obs. 31. n. 7. Roch. Curt. sect. 8. n. 17. 18. de consuet. Non enim tam actus, quàm tacitus populi consensus consuetudinem introducit: qui si ex duobus colligi potest, non video, quò minus duo actus sufficere possint: ut mihi planè persuadeam, probabilem esse Bart. distinctionem, (quam turmatum nostri avium in morem sequuntur. Ravenn. & Curt. dictis

dictis

dictis locis.) distinguuntis nimirum inter causas graviores & leviores. Cum enim illæ vix excutiantur sine magno strepitu, & rerum longis ambagibus: vix est, ut non in populi notitiam, si bis ita actum sit, perveniant. Sed in casibus Levioribus, & maximè vilium personarum, non ita resonat negotium, nec efficitur notorium, ut inquit Ravenn. Contrarium statuit Menoch. 2. arb. jud. quæst. 81. propterea quia frequentia actuum requiritur. Quod ut concedamus, legum nos cogit veritas: quò minùs tamen priori sententiæ stemus, obest nihil: cum & illud quod bis fit, pro subiecta materia, frequenter fieri non ineleganter dicamus: idque arg. §. final. Institut. de jur. person. Vbi dicitur, liberorum hominum multas esse differentias, cum tamen tantum sint duæ. Quod ipsum confirmatur l. servus C. ad l. iul. de vi. l. 1. §. hoc rescripto ff. ad S. C. Silan.

XXVI.

Queritur: hi actus, judiciales, an extra judiciales esse debeant? Accurs. Judiciales requirit: nos etiam extrajudiciales admittimus.

Bart. ad l. de quib. n. 13. ff. de legib. Ibid. Ias n. 41. Et hanc opinionem Camera secuta est, referente Gail. 2. obs. 31. n. 8. In ijs enim quæ tacito consensu introducuntur, iudicis præsentia non requiritur l. si ve apud acta C. de transact. Movetur Accurs. l. cum de consuetudine ff. de ll. ubi dicitur explorandum esse, an etiam aliquando contradicte iudicio consuetudo firmata fuerit h. e. ut interpretatur Duar. c. 11. de ll. num. etiam aliquando, altero ex litigatoribus contradicente, & talem non esse consuetudinem contendente, iudicatum tandem fit pro consue-

consue-

consuetudine: Verùm isti legi satisfactum est à Bart. ad
d. l. de quibus n. 13. Vel si mavis cum Donell. i. Commen.
10. dicere, (neq; enim sine ratione dices,) illud consilij,
non necessitatis esse. Consilium dat, ut id fiat, quia utile
& expeditum, ne fortè se actor in probatione consuetudi-
nis, non necessarijs testimonijs conquirendis sollicitet, ubi
ea molestia carere possit; non etiam ita dicit, quasi fa-
cere sit necesse,

XXVII.

*Nec tamen hinc rectè colliges, à Docto-
ribus nostris communiter collectum: Duas
sententias in eodem litis genere consimiles,
consuetudinem facere.*

Hac in re multus est, non malus auctor Roch. Curt.
sect. 8. nu. 15. & seqq. Eleganter inquit Cuiac. 20. obs. 1.
aliud est consuetudo, aliud res iudicata l. nam Imper-
ator ff. de ll. & non res iudicatæ consuetudinem faciunt,
sed tacitus illiteratusque consensus populi, frequenti &
assiduo usu inveteratus. Non ergo sententia iudicis con-
suetudinem facit: quæ non est, at consuetudinem, quæ est,
declarat,

XXIIX.

Diuturnitas Temporis.

*Superest ultimum requisitum, Diutur-
nitas temporis: qua an Decennio circumscri-
batur? mirum quàm nostri disputent: ego
à communi affirmativa non recedo.*

Qui propositum negativè adserunt, moventur qui-
busdam locis, quibus Vetustas temporis hac in specie
exigi

C

exigi

exigi videtur, l. de quib. ff. de ll. l. 2. C. Quæ sit long. cons.
quibus in locis Inveteratæ, Longævæ, consuetudinis
mentio fit: quæ si alibi non explicentur, non negem tem-
pus decennale non sufficere. Sed cum alibi dicatur, Diu-
turnam consuetudinem, item Longam idem efficere l.
diuturna l. sed ea ff. de ll. §. ex non scripto Instit. de I. N.
G. & C. (si intelligimus, quid sit in usu juris Diuturnum
& Longum tempus) quæstio tollitur. illud discendum
erit, ex alijs juris partibus, quæ horum verborum men-
tionem iniiciunt, Vt in usucapionibus Longum tempus ni-
hil aliud quàm decennium significat §. 1. Instit. de usu-
capionibus. Vndè si Præses in Longum tempus caveri
jusserit, in decennium cautum interpretamur l. penult. ibi.
Gloss. ff. de prætor. stipulat. Bart. ad l. de quibus nu. 14.
de ll. Sebast. Medices in tractat. de ll. p. 2. q. 14. nu. 3.
Gail. 2. obs. 31. n. 2. ubi tradunt quid de jure Canonico
receptum sit. Donell. 1. Comment. 10. Alber. Gentil.
de divers. præscript. c. 10. Costal. ad l. de quibus de ll.
Mynsing. 6. observat. 41. n. 7. & seqq.

XXIX.

*Ex his jam intelligi potest, quanam pro-
bandæ consuetudinis ratio sit. Hæc enim ipsa,
quæ requiri diximus, sunt probanda specificè.*

Gail. 2. obs. 31. n. 1. V Vefenbec. in ff. de ll. num. 9.
Menoch. conf. 54. n. 37.

XXX.

*Probatum autem consuetudo vel testibus,
vel scripturis; puta libris publicis, attestazione
seu scriptura magistratum.*

V Vefenb. d. loco,

De

*De numero testium nonnulli dubitant:
verius est binarium sufficere.*

Per regulam, quod duo testes plenam probationem faciant l. 12. de testibus. Bart. in l. 2. C. Quæ sit long. conf. Ioh. Fab. in §. ex non scripto Institut. de I. N. G. & C. Roch. Curt. sect. 8. n. 8. V Vesenb. in ff. de ll. in fin.

*Vnde non exigua oritur controversia:
An Doctori de consuetudine attestanti credatur? Affirmat Bartol. contra quem sic disputo:*

Consuetudo facti est: Menoch. conf. 37. n. 39. & 67. Quæ autem facti sunt etiam prudentissimos fallere possunt. arg. l. 2. de jur. & fact. ignor. Quod maximè in consuetudine procedit, quæ plerumq; varia est, & modo alba, modo nigra, ut ex Hostiense refert Curt. sect. 8. n. 9. Unde dici solet, quod in dubijs facti, etiam principes errare soleant c. 1. de constitut. in 6. Ias. in l. de quib. nu. 89. de ll. Addit præterea Francisc. de Aretio consil. 132. propterea non admittendam eius attestationem, ne duplex specialitas circa idem concurrat. Prima, quòd admittantur testes non iurati. Secunda, quòd admittantur testes, qui testificantur per scripturam, quod non licet c. testes 3. q. 8. Vid. Ant. Gabriel. de probat. 1. conclus. 4. Quamvis contraria sententia Bartoli in Camera approbata sit, ut refert Myns. 5. obs. 96. n. 5.

Quid si consuetudo notoria sit, an probanda? Nego. (a) An alleganda? (b) subsisto.

(a) Quia notoria, probatione non egent c. evidenti-
tia. de accusat. c. super eo. Extr. de testib. vid. Mynsing.
6. obser. 3.

(b) Negat Bart. in l. 2. C. Quæ sit long. cons. Af-
firmat Iason in l. de quibus 32. nu. 88. de ll. Per regulam:
quòd, licet notorium relevet ab onere probandi, non ta-
men relevat ab onere proponendi. Quem sequitur Gail.
2. obs. 31. n. final. Cæterum pro Bart. stat Chassan. ad
procem. consuet. Burgund. num. 23. & argumento Iaso-
nis respondet. Nos interim illud quærimus, An jus alle-
gandum vel proponendum sit? & ex eo tunc facilis pro-
positæ quæstionis resolutio erit.

XXXIII.

*Probata ad eum modum consuetudinis
effectus non minor est, quàm ipsius legis. itaq;
omnes obligat ad scientiam, ad obedientiam,
aut ad pœnam.*

De quibus V Vesenb. in ff. h. tit. n. final.

XXXV.

*Vsq; adeò ut, si secundum leges sit, non so-
lùm corroboret & confirmet eas, verùm
etiam interpretetur.*


l. sed ea. 35. cum seqq. ff. de ll. Duar. in tit. de ll.
cap. ult.

XXXVI.

*Hinc pro coronide queritur: An
legem contraria consuetudo tollere possit?
Quod affirmo.*

l. de

l. de quibus 32. ff. de ll. Sicut enim expresse, ita
etiam tacite populus Romanus abrogandæ legis potesta-
tem habet. Opponi solet l. 2. C. Quæ sit long. consuetud.
de qua vide perimentes se invicem sententias apud Duar.
2. disputat. 32. & ad tit. de ll. c. final. Forcat. in occult.
Jurisprud. n. 35. Donell. 1. Comment. 10. Sons-
bec. p. 1. n. 2. de feud. Cuiac. 2. feud. 1. Co-
stal. ad d. l. de quib. Conan. 1. Comment.
10. Lopez. 1. animad. 5.



QVÆSTIONES:

1. Civilis.

*Rectène Dominium, in Directum,
Vile, & Plenum dividitur?*

2. Canonica.


*An innocenti & relicta uxori permit-
tendum est alij nubere?*

3. Feudalis.

*Nunquid Pecunia, ex feudi venditione
redacta, feudalis est?*

4. Saxonica.

*Vtersilia (die gerade) filiabus in legiti-
mam computantur: sed an etiam matribus?*



*Ad Ornatissimum atq; litteratissimum
Virum*

Dn. PAVLLVM
Spiegell V. I. CANDIDATVM,
PRO GRADV IVRIDICO
DISPVNTM.

I.



*Vi dedit ingenium Pallas, cui
Suada leporem,
Cor Sophie doctum, mystica
jura Themis:
En legum Eunomie custos nunc, PAVLLE,
Diceq;
Freneq; tibi laureaserta parant:
Teq; vocant Themidos mysten, legumq; peritū,
Et SPECVLEVM juris, presidiumq; fori.
Sit felix honor iste, precor: Patriaq; DEOq;
Serviat: atque tibi commoda mille ferat.*

Elias Reusnerus L.

Poëseos & Historiarum
Professor Publicus.

Ergone



II.



Regone, quæ virtus & tot data tempora
juri

Præmia spondebant, nomen titulosque
supremos

Paulle capis tandem, & patriæ sua debita
solvis?

Sic est: Sala tibi meritos decernit honores,
Quos Panus & Varnus, quos debuit ipse Elyster.

Sat generi famæque datum: si nota per orbem
Virtus, atque omni sine labe peracta Juventus,
Et studiorum & juris amor, fastigia summa,
(Quò labor humanus penetrare & raudera mentis
Primæque possunt) faciunt conscendere quendam.

Quid ni ergo generi & patriæ famæque dedisse
Te quoque sat dicam? cui primo à tempore vitæ
Divinas leges & lata à Cæsare jura
Noscere cura fuit, studiisque acquirere famam.

Musæ Salades tibi pro sudoribus istis
Quos jam decernent titulos, quæ floridaserta
Imponent capiti, cape lætus: & utere foelix
Nomine Doctoris, tibi quod virtute parasti.
Perge modò: & magno, quod adhuc superesse laboris
Scis, animo vince: & plenè exple vota tuorum.

Fama ingens sic ingenti tua nomina plausu
Evehet, & toto tua facta loquetur in orbe.

In honorem amicissimi & doctissimi Dn. Sympatriotæ fecit.

Ioachimus Mörder Nobilis
Pomeranus.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or title.

Two lines of faint, illegible text in the upper middle section.

Two lines of faint, illegible text in the middle section.

Two lines of faint, illegible text in the lower middle section.

Two lines of faint, illegible text in the lower middle section.

Two lines of faint, illegible text in the lower middle section.

Two lines of faint, illegible text in the lower middle section.

Two lines of faint, illegible text in the lower middle section.

Two lines of faint, illegible text in the lower middle section.

Two lines of faint, illegible text at the bottom of the page.

